

queque in suo genere alteram perficiat, & faciat unum; & hoc sufficit ne habemus necessitatem ponendi in mixto unionem a partibus essentialibus substantialibus realiter distinctam absque ullo opere intellectus. quare melius meam unionem coniunctionem vocabo, ut totam aquiuocationem tollam; & difficultates dissipem; nam unio dicit juxta aliquos rem modalem, non sic coniunctio; quia coniunctio nihil addit, sed solum illam unibilitatem naturalem in partibus supponit, ut quid intrinsecum illis, tendens natura sua ad actum executium, vide licet ad actualem coniunctionem; & propterea non requiritur noua unio superaddita, sicut requiritur in composito accidentali; quia partes non habent illam inclinationem intrinsecam inter se ad unionem. quare lapides in parte indigent, ut uniantur, & inter se substinentur ibidem cimento, & hoc quia lapides non habent illam propensionem ad dictam unionem, immo per cementum ibi violenter retinentur, non sic materia respectu formae, nec forma respectu materiae, quae se habent inter se sicut avarus erga aurum & argentum, & caneliseus circa eamdem materiam, & cibis; quia in eis crescit amor nummi quanto magis pecunia crescit. unde materia prima aristotelica dici potest, quae habet appetitum ad omnes formas; & credo quod si haberet mille simul cresceret eius appetitus, quia ex aduentu illarum crescit eius perfectio, unde caneliseum illam vocabo, & caneliseum materiam primam esse dicam.

29. Obiectio 4. quando franciscus fuit genitus ab antonio, aliquis terminus de novo sine dubio fuit productus, quia illa actio productiva sine fine non erat; atque adeo nec sine termino; atque per talem actionem non fuit producta neque forma neque materia, quia non sunt ex aliis; ergo fuit producta unio ab eis, per consequens realiter distincta.

Respondeo solutionem huius argumenti patere ex dictis in hac subfectione supra n. 14. addo, tamen hic, quod terminus productus est totum compositum substantiale; neque valet dicere, quod totum non fuit productum secundum totam entitatem, quia partes eius non fuere productae; non affigit inquit hoc dictum aduersum; quia in unione partium facta ab agente naturali, & habemus terminum totalem, & formalem; totalis est v.g. homo, formalis est coniunctio partium hominis, & quamvis homo non fiat secundum suas partes transactas, sit tamen secundum suas partes coniunctas, ad quam transactionem